AN STOICA

M. A. ANTONINI PHILOSOPHIA

ALIQUID CHRISTIANÆ DOCTRINÆ DEBUERIT.

IMPRIMERIE D'AMÉDÉE GRATIOT ET Ce, 11, RUE DE LA MONNAIE.

AN STOICA

M. A. ANTONINI

PHILOSOPHIA

ALIQUID CHRISTIANÆ DOCTRINÆ DEBUERIT

QUÆSTIONEM TENTAVIT

A. C. D. FILON

In Facultate litterarum licentiatus.

LUTETIÆ PARISIORUM.

M DCCC XL.

PATRIS DILECTISSIMI

MEMORIÆ

DUODEVIGINTI ABHINC ANNIS AMISSI

SERUM AC TENUE DEDICAVI

PIETATIS PIGNUS.

AN STOICA

M. A. ANTONINI PHILOSOPHIA

ALIQUID CHRISTIANÆ DOCTRINÆ DEBUERIT.

Nihil est in rebus humanis quod admirandum magis videatur, quam generosæ mentis constantia, quæ, dum cuncta in deterius aguntur, stat sola recti tenax et inconcussa. Has olim partes, in Romæ vergentis occasu, sustinuit Marci Aurelii Antonini virtus; qui, non minus philosophica prudentia quam virili fortitudine instructus, quemadmodum imperii fines a barbarorum impetu, sic animum ipse suum et æqualium animos a fœdo cupiditatum contactu inviolatos servare conatus est. Unde vero vis tanta in imperatoris philosophi pectus descen-

derit : utrum ex puro Porticus fonte manaverit; an ex recentioribus conflata elementis, atque ex nova illa religione quam Christus nomine suo ac sanguine signaverat, furtim derivata sit, ambigitur. Quæ in utramque sententiam prolata sunt argumenta, diligentius perpendere, et litem, si modo licet, dirimere mihi propositum est.

Quam hodie de Marco Antonino quæstionem instituimus, hæc non ita pridem de Epicteto disputata est. Nonnullis, et doctissimis quidem, in mentem venerat Epaphroditum istum, Neronis libertum et herum Epicteti, eumdem fuisse atque Epaphroditum, a Paulo celebratum, unum scilicet e primis Christi militibus, et evangelica præcepta ab herili ore in servi scripta defluxisse [1]. Imo plurima ex Epicteto in medium protulerunt, quæ, cum a Christianis legibus non omnino recederent, ab ipso Christi spiritu philosopho suggesta fuisse contenderunt. Quorum sententiæ patrocinari videbatur Caroli Borromæi auctoritas, qui se non semel, Epictetum legendo, ad humanas res contemnendas fortem atque alacrem evasisse confessus est [2]. Augustinus ipse, Epicteti virtute captus, eum inter felicitatis æternæ consortes adscitum optaverat. Attamen hanc de

[1] A. Berkelius, *Præfat. in Epictet.* — G. Salden, *Otia theolog.* — Dan. Müller, *De Epicteti Christianismo.*

[2] J. Lipsius, *Manuductio ad stoicam philosophiam*, lib. I, dissert. 17.

Epicteti Christianismo opinionem plurimi confutaverunt : inter quos Albertum Fabricium [1], Michaelem Rossal [2], nec non unum e nostris hodiernis scriptoribus[3], tam exquisita doctrina quam acri judicio et vivida eloquentia præcellentem, numeraverim.

Non magis equidem in imperatore Antonino quam in Epaphroditi servo Christianæ doctrinæ vestigia deprehendo ; nec Hospitalis nostri sententiæ assentiri possum, qui, in celeberrimo quodam opere, hoc de Marco judicium tulit : quidquid in illo, licet Gentili, religiosum, quidquid probum exstiterit, id ad Christianam disciplinam referendum videri [4]. Præterea celeberrimus apud Germanos philosophiæ historicus existimavit plurimos Christianorum libros in Marci manus pervenisse, et nonnullos in ejus opera partim fuisse translatos [5]. Nec defuerunt

[1] Alb. Fabricius, *Bibliotheca Græca*, IV, 7.

[2] Mich. Rossal, *Disquisitio de Epicteto philosopho stoico, qua probatur eum non fuisse Christianum.*

[3] M. Villemain, *De la philosophie stoïque et du Christianisme, Nouveaux mélanges littéraires*, p. 278.

[4] Le bon empereur Antonin pratiqua tout le long de sa vie, bien qu'il fût païen, les deux préceptes de notre Décalogue, qui sont d'aimer Dieu de tout son cœur, et son prochain comme soi-même ; et il y a grande apparence qu'il tenait cette instruction des Chrétiens. (L'Hospital, *Traité de la réformation de la justice*, liv. II.)

[5] Brucker, *Hist. crit. philosophiæ*, T. II, p 588.

qui longius in eadem via et audacius progrederentur : nostris enim temporibus aliquis asserere non dubitavit, Aurelium semper et ubique Christianis favisse, ipsum autem vere Christianum sub imperatoria purpura ac stoico pallio latuisse[1]. Hanc sententiam, jam apud Germanos impugnatam[2], de integro refellere aggrediar ; et nemini dubium, ut spero, videbitur, nihil in Marco Christianum fuisse. Quod ut probem, tum ab Antonini vita, seu privata, seu publica, tum ab ejusdem scriptis argumenta depromam.

Quam feliciter ad vitæ virilis exercitationem natus fuerit Aurelius[3], quam constanter studio et voluntate naturam adjuverit, quis est qui nesciat? Vix adolescentiam ingressus, adeo non genio indulsit, ut contra humi cubare vellet, nec nisi matre adhortante instrato pellibus lectulo acquiesceret[4]. Inter urbis et aulæ delicias, gravis et tristior quam par erat, incedebat ; vel in theatro convivioque libros lectitabat, durus profecto et intempestivus homo, ut Frontonis verba usurpem, unius ex ami-

[1] A. Kestner, *Die Agape oder der geheime Weltbund der Christen*, Iena, 1819, p. 379 et sqq.

[2] H. Eichstadt, *Exercitationes Antoninianæ*, in Annalibus Academiæ Ienensis, T. I.

[3] Ad omnes virtutes natus priusquam institutus. (Frontonis et M. Aurelii Cæsaris *Epistolæ*, IV, 1.)

[4] J. Capitolinus, *Antoninus philosophus*.

cis ac præceptoribus devotissimi[1]. Hic vero animadvertendum est Aurelium sub altarium antiquorum umbra educatum adolevisse, et, ut Romani juris, sic priscæ religionis præceptis animum penitus imbuisse. Qui, cum sexennis, equi publici honorem ab Hadriano accepisset, octavo ætatis anno, Saliorum collegio adscriptus est[2]. Nec munia ista, tot juvenum patriciorum more, neglexit; verum diligentissime adimplevit, virtutem religione auspicatus[3].

Quoad vixit Antoninus, a prima pueritiæ disciplina nunquam descivit. Qui patri immolanti pius adstiterat, ut ipsius litteræ[4] et vetera testantur numismata ; qui recurrente die Frontonis natali, omnes sive majorum sive minorum gentium Deos, ne uno quidem excepto, invocaverat[5]; qui semiruta Anagniæ templa venerabundus inviserat, libros

1 Front., *Epistolæ*, IV, 12.

2 J. Capitolinus, *Antoninus philosophus*.

3 Fuit in eo sacerdotio et præsul et vates et magister ; et multos inauguravit atque exauguravit, nemine præeunte; quod et ipse carmina cuncta didicisset. (J. Capitolin. *Loc. cit.*) — Cf. Aristid. *Orat.* IV.

4 Frontonis et M. Antonini *Epist.*, IV, 6.

5 Deos omnes qui usquam gentium vim suam præsentem promptamque hominibus præbent, qui vel somniis, vel mysteriis, vel medicina, vel oraculis usquam juvant atque pollent... Æsculapium, Minervam, Deos viales et promarinos, postremo omnes omnium populorum præsides Deos, atque ipsum lucum qui Capitolium montem strepit. (Front. et M. Antonin. *Epist.*, III, 9.)

linteos et quidquid in urbe sacra inscriptum permanserat, curiose interpretatus[1]; idem ille, imperium adeptus, plus quam Augusto necesse erat pontificem egit. Jam imminente Marcomannorum bello, non prius Roma proficisci voluit, quam urbem omni genere lustravisset, et, Romano ritu, per septem dies, lectisternia celebravisset; imo sacerdotes undique accivit, et sacris patriis peregrinos ritus miscuit[2], adeo ut nimiam imperatoris pietatem ipsi irriserint pagani[3].

Si qua die sacra publica vacarent, privata domi celebrabat[4]; nec communi religione contentus, nihil antiquius habuit quam ut arcanis Deorum mysteriis initiaretur. Quod satis testatur illa ad Herodem Atticum Epistola, principi olim amicissimum, postea vero infensum : « Si quo te dolore affecerim, pœnas a me exposcas velim in templo Minervæ Atheniensis, inter ipsa initiorum mysteria. Hoc enim in votis erat, etiam cum bellum maxime ingravesceret, ut

[1] Deinde in porta, cum eximus, ibi scriptum erat bifariam sic : *flamen, sume samentum.* Rogavi aliquem ex popularibus quid illud verbum esset. Ait lingua Hernica pelliculam de hostia quam in apicem suum flamen, cum in urbem introeat, imponit. (Front. et M. Antonin. *Epist.*, IV, 4.)

[2] J. Capitolinus, *Antoninus philosophus.*

[3] Julianus Marci illius similis Cæsaris, in quem id accepimus dictum : οἱ λευκοὶ βόες Μάρκῳ τῷ Καίσαρι· ἂν σὺ νικήσῃς, ἡμεῖς ἀπωλόμεθα. (Ammian. Marcellin. XXV, 4.)

[4] D. Cassius, LXXI, 34.

sacris initiarer. Quod utinam fiat te sacrorum antistite[1]!» Rebus in Oriente compositis, Aurelius, Athenis commoratus, Cereris templum adiit initiorum causa, et solus intimum deæ sacrarium ingressus est[2]. Romæ, templum Bonitati vel Beneficentiæ dedicavit[3]. Somniis et oraculis, tanquam cœlestibus monitis, credidit; Superis etiam gratatus est quod sibi in urbe Cajeta somnianti remedia indicata essent, per quæ incommoda sanguinis exscreatio et capitis vertigines sanarentur[4].

Scio equidem M. Antoninum a magicis artibus omnino abhorruisse. Hoc enim ipse sibi testimonium in commentariis reddidit : « A Diogneto didici ne eorum præstigiis vel incantationibus fidem adhiberem, qui dæmonas ab hominum corporibus exigunt[5]. » Quin etiam superstitionem lege frænavit, et in insulam relegandos rescripsit, qui aliquid facerent quo leves hominum animi superstitione numinis terrerentur[6]. Hoc vero vel ad Christianos pertinet, qui, ut ex Tertulliani Apologetico mani-

1 Philostrat. *Vita Herod.*

2 J. Capitolinus, *Antonin. philosophus.* — Dion Cassius, LXX, 31.

3 D. Cassius, LXX, 34.

4 M. Antoninus, *in se ipsum*, Ed. Gataker, I, 17. — IX, 27.

5 Id. I, 6.

6 Paulus, in *Digest.* lib. XVLIII, tit. XIX, lex 30.

festum est, dæmonas adjurare consueverant[1], vel ad secretam haruspicinam quam Tiberius olim prohibuerat[2], non certe ad auspicia Romæ publica et cærimonias antiquitus usitatas. Qui enim ea Marcus sustulisset, quæ ne Constantinus quidem delevit, Christianorum liberator et vindex[3]?

Hactenus de Ethnico imperatore. At fortasse dicet aliquis : Purpuram detrahe, et invenies philosophum Christiano dogmati proximum. Constat enim Antoninum a teneris philosophiæ incubuisse, et Græcum pallium priusquam virilem togam induisse[4]. Primum, sub Claudio Severo, peripateticæ doctrinæ studuit. Deinde, quum in stoica magis profecisset, celeberrimis usus magistris, Apollonio Chalcidico, Sexto Chæronæo, Plutarchi nepote, Junio Rustico, Claudio Maximo et Cinna Catulo[5], hanc scholam potissimum secutus est, cui optimus quisque, ab exstincta libertate, sese addixerat. Errat vero, ut opinor, qui existimat stoicam inter doctrinam et Christianam quoddam esse cognationis vin-

[1] Tertullianus, *Apologet.* 32.

[2] Haruspices secreto ac sine testibus consuli vetuit. (Suet., *Tiberius.*)

[3] Lex Constantini, *De tactu fulminis,* ann. J.-C. 321.

[4] Philosophiæ operam vehementer dedit, et quidem adhuc puer; nam duodecimum annum ingressus, habitum philosophi assumpsit... Virilem togam sumpsit quinto decimo ætatis anno. (J. Capitolinus, *Antoninus.*)

[5] M. Antonin, *In se ipsum,* I, 7, 9, 13 et 15.

culum. Nondum loquor de Marci stoicismo, quem infra videbimus, sed de prisca illa et genuina porticus doctrina, qualem olim apud Græcos Zenonem, Cleanthem ac Chrysippum professos accepimus.

Hoc primum, apud stoicos, quasi doctrinæ fundamentum : nihil gignere posse quod sit expers corporis[1]. Deus ergo corporale aliquid, *πνεῦμα* vel *αἰθήρ*, vis quædam ignea, materiæ formatrix, non creatrix, et cunctis naturæ rebus penitus infusa[2]. Mundum ipsum animatum et rationale aliquid, imo et Deum existimant[3], cum effectum pro causa, opus pro opifice accipiant. Quam universo mundo tribuerant divinitatem, hanc et variis mundi partibus tribuendam censuerunt[4], ideoque ex alta philosophiæ arce in popularem superstitionem delapsi sunt. Quidquid corporale, necessario finitum : itaque stoicorum Deus materiam non nisi eluctando finxit; et aliquando victus est, cum multa ex ejus

[1] Πᾶν γὰρ τὸ ποιοῦν σῶμα ἐστι. (Diog. Laert., VII, 56.) — Statuebat enim (Zeno) ignem esse ipsam naturam, quæ quidque gigneret, et mentem atque sensus... Nullo modo arbitrabatur quidquam effici posse ab ea quæ esset expers corporis. (Cic. *Academic. quæst.* I, 11.)

[2] Diog. Laert. VII, 134.

[3] ὅτι δὲ καὶ ζῶον ὁ κόσμος καὶ λογικὸν καὶ ἔμψυχον καὶ νοερὸν, καὶ Χρύσιππός φησιν ἐν πρώτῳ περὶ προνοίας, καὶ Ἀπολλόδωρός φησιν ἐν τῇ φυσικῇ καὶ Ποσειδώνιος. (Diog. Laert. VII, 142.)

[4] Cic. *De Nat. Deorum.* II, 15, 23 et sqq.

manibus exciderent, quæ aliter fuisse maluisset. Inde orta naturæ mala et morbos humano corpori inhærentes Chrysippus existimavit[1]. Eadem apud Senecam leguntur[2]. Quantum vero iste Deus a Christianorum Deo differat, quid opus est verbis ostendere? qui, corporis ac figuræ expers, omnia de nihilo duxit; atque, ut natura sic potestate infinitus, quidquid vult, uno verbo efficit, et obstantia quæque ad propositum suum convertit, summus materiæ dominus et informator[3].

Docebant stoici Deorum providentia mundum administrari[4]; at quid aliud illis providentia, nisi fatum ineluctabile[5]? Habemus de hac quæstione

[1] Chrysippus, in libro περὶ προνοίας quarto, existimat non fuisse hoc principale naturæ consilium, ut faceret homines morbis obnoxios: nunquam enim hoc convenisse naturæ auctori parentique rerum omnium bonarum. Sed cum multa, inquit, atque magna gigneret pareretque aptissima et utilissima, alia quoque simul agnata sunt incommoda, iis ipsis quæ faciebat cohærentia; eademque non per naturam, sed per sequelas quasdam necessarias facta dicit, quod ipse appellat κατὰ παρακολούθησιν. (A. Gell. *Noct. Att.* VI, 1.)

[2] Quare Deus tam iniquus in distributione fati fuit, ut bonis viris paupertatem, vulnera et acerba funera adscriberet? Non potest artifex mutare materiam : hæc passa est. Quædam separari a quibusdam non possunt; cohærent, individua sunt. (Senec., *De Provident.* 5.)

[3] Τὸ μὲν γὰρ θεῖον ἀγέννητον εἶναι καὶ ἀΐδιον, νῷ μόνῳ καὶ λόγῳ θεωρούμενον· τὴν δὲ ὕλην γεννητὴν καὶ φθαρτήν. (Athenag. *Apol.* 4.)

[4] Cic. *De Nat. Deorum*, II, 29, 66.

[5] Ἕν τε εἶναι θεὸν καὶ νοῦν καὶ εἱμαρμένην καὶ Δία πολλαῖς τε ἑτέραις ὀνομασίαις προσονομάζεσθαι. (Diog. Laert. VII, 135.)

Chrysippi verba, a Gellio servata[1], quæ Tullius in latinum sermonem transtulerat : « Fatum appello ordinem seriemque causarum, cum causa causæ nexa rem ex se gignat. Ea est ex omni æternitate fluens veritas sempiterna[2]. » Quod si causarum antecedentium imperio humana quæque acta obnoxia sunt, tollitur liberum mentis arbitrium. Quid ergo leges, quid pœnæ non sponte peccantibus imminentes? Chrysippus, cum hæc objecta vellet diluere, et sic fatum retinere ut necessitatem effugeret, duo causarum genera distinxit, alias perfectas et principales, alias adjuvantes et proximas, et notissimum in schola cylindri exemplum protulit, qui moveri nisi pulsus non incipit, at pulsus suapte natura volvitur[3]. Si vero ad istius cylindri vel turbinis mensuram redigitur nostra libertas, jam nulla est, nec immerito incusandi mihi videntur stoici, quod hominem fato inservientem fecerint.

Qui omnia necessario decreta esse putant, ii futurorum arcana scrutentur necesse est. Itaque divinatio apud stoicos usitatissima. Hanc defendere non dubitaverunt Zeno, Cleanthes atque imprimis Chry-

[1] Εἱμαρμένην εἶναι φυσικὴν σύνταξιν τῶν ὅλων ἐξ ἀϊδίου τῶν ἑτέρων τοῖς ἑτέροις ἐπακολουθούντων, καὶ μετὰ πολὺ μὲν οὖν ἀπαραβάτου οὔσης τῆς τοιαύτης συμπλοκῆς. (Chrysip. Περὶ προνοίας, lib. IV, ap. A. Gell. *Noct. Att.* VI, 2.)

[2] Cic. *De Divinat.* I, 55.

[3] Chrysip. ap. Gellium, VI, 2. — Cic. *De fato,* 18 et 19.

sippus, qui sparsa stoicæ disciplinæ præcepta composuit suis in libris, et quo sublato, ut ait Diogenes Laertius, non esset Porticus[1]. Omnes stoicorum principes vim esse divinandi palam professi sunt, excepto Panætio, Antipatri discipulo; qui tamen, ut refert Tullius, nonnegare ausus est, sed dubitare se dixit[2]. Quamvis illi suam de futurorum significatione sententiam a populari opinione diligentissime distinguerent, in absurda vulgarium superstitionum monstra recidebant[3]. Nemo enim nescit, aliquot diebus antequam pugna apud Philippos committeretur, suum M. Bruto genium apparere visum fuisse[4]. Quem J. Cæsaris facies tot armatis militibus præsentique victoriarum caterva stipati non terruerat, is vanam expalluit imaginem, et, victus ante aciem, de diis, de patria, ac de propria etiam virtute desperavit.

Stoicas de fato ac divinatione opiniones Christiana Ecclesia semper aversata est: quæ duas res

[1] Εἰ μὴ γὰρ ἦν Χρύσιππος, οὐκ ἂν ἦν στόα. (Diog. Laert. VII, 183.)

[2] Cic. *De Divinatione*, I, 3.

[3] Non placet stoicis singulis jecorum fissis, aut avium cantibus interesse Deum : neque enim decorum est, nec Diis dignum, nec fieri ullo pacto potest; sed ita a principio inchoatum esse mundum, ut certis rebus certa signa præcurrerent, alia in extis, alia in avibus, alia in fulguribus, alia in ostentis, alia in stellis, alia in somniantium visis, alia in furentium vocibus. (Cic. *De Divinat.* I, 52)

[4] Plutarch., *Brutus*.

antea dissociabiles, divinam providentiam et liberum hominis arbitrium miscuit [1]; divinandi vero artem, ut temerariam et sacrilegam prohibuit, quanquam paganæ sortes quibusdam in locis tamdiu permansere, exstinctæ religionis monumentum [2]. Quod ad humanæ animæ naturam attinet, non minus a Christianis stoici dissenserunt : animam putabant igneum esse et subtilem æthera, πνεῦμα ἔνθερμον, illius quæ mundum agitat animæ particulam; quæ, cum corpus haberet, in plurimas partes dividi poterat [3]. Fuerunt quoque, primis Ecclesiæ temporibus, Christiani doctores qui animam corporalem existimarent [4]. At vera Christi doctrina, qualem Augustinus interpretatus est, hoc habuit placitum, animam incorporale aliquid esse, et ideo simplex atque individuum. Postquam autem recentior philosophia veterem de materiali ac communi anima sententiam e medio redivivæ antiquitatis pulvere suscitavisset, hanc summi pontificis auctoritas, coram Europa, damnavit [5].

[1] Augustin., *De Nat. et gratia.* — *De Grat. et lib. arbit.*

[2] Gregor. Turon. *Hist. Franc.* lib. II.

[3] Ζήνων δὲ καὶ Ἀντίπατρος ἐν τοῖς περὶ ψυχῆς καὶ Ποσειδώνιος πνεῦμα ἔνθερμον εἶναι τὴν ψυχήν... Μέρη δὲ ψυχῆς λέγουσιν ὀκτώ, τὰς πέντε αἰσθήσεις, καὶ τοὺς ἐν ἡμῖν σπερματικοὺς λόγους, καὶ τὸ φωνητικὸν, καὶ τὸ λογιστικόν. (Diog. Laert. VII, 157.) — Cf. Plutarch. *De philosophorum placitis*, IV, 4.

[4] Tertullian. *De anima.*

[5] Leonis X bulla, dec. 19, ann. 1513, ap. Sponde, *Annal. eccles.*

Si quid reperitur, in quo priores stoici Christianam doctrinam quasi præsenserint, hoc est ethica sive moralis disciplina, vitæ tum privatæ tum publicæ accommodata. Ea sola bona habenda sunt quæ honesta, mala tantum quæ turpia. Nihil honestum nisi naturæ consentaneum; nihil turpe nisi contrarium. Inde summum bonum, apud stoicos, consentire naturæ, convenienter naturæ vivere[1], ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῆν[2]. Natura vero hoc homini non tantum suadet, sed imperat, ut cupiditatibus, tanquam inimicis, adversatus, rationali animæ parti, quam τὸ ἡγεμονικόν appellant, cæteras semper subjiciat[3], et ea æquo animo accipiat quæ extra se posita sunt. Deinde cavendum est ne aliis noceas, cum ipsa natura, quid sit jus, docuerit, idque hominis menti altius infixerit. Imo caritas illa humani generis, in qua Christiani adeo profecerunt, non stoicis ignota; et quam in universa rerum natura convenientiam, vel cognationem, Græce συμπάθειαν, deprehenderant, hanc inter homines versari oportere, et firmissimum civilis societatis vinculum esse arbitrabantur[4]. Nihil profecto

[1] Cic. *De finibus bonorum et malorum*, III, passim. — *De officiis*, III, 3.

[2] Diogen. Laert. VIII, 87, 88 et 89.

[3] Plutarch. *De placitis philosophorum*, IV, 4 et 5.

[4] Placet stoicis, quæ in terris gignuntur, ad usum hominum omnia creari; homines autem hominum causa esse generatos, ut ipsi inter se alii aliis prodesse possent. (Cic. *De offic.* I, 7.)

ethicæ stoicorum doctrinæ defuisse videtur, nec mirum si ista philosophia cives informaverit impavidos, in tyrannorum aula liberos, et Romanas leges ad humaniora feliciter promoverit.

Attamen fatendum est, egregia illa præcepta caducis subnixa fundamentis male sustineri. Quid enim stoici per naturam, vitæ ducem ac magistram, intellexerunt, nisi communem rerum rationem atque animam, quam corporalem sibi finxerant? Materiali autem ex principio legitime oriatur Epicurea voluptas, non pura et absoluta virtutis species. Aureas ergo conclusiones attigerunt stoici, sed a pessimis profecti principiis. Adde quod, fati necessitatem admittendo, humanæ libertatis vim infregerunt. Unde fit ut hujus scholæ philosophus mirabiliter *patiatur* et *abstineat*, non satis aliquando strenuus atque agilis videatur.

Quam supra explicavimus stoicorum doctrinam, hæc animæ immortalitatem excludit. Etenim, si causis antecedentibus, ut manu cylindrus, homo impellitur, quid opus est futuro post mortem judicio? Qui neque pœnam neque mercedem actis voluntariis meruerit, is omnis moriatur necesse est. Non immortalis anima, nisi libera. Cæterum qui corruptionem effugere et sibi in æternum constare possit corporale aliquid ac dividuum? Itaque stoicorum sententia fuit, animas corruptioni obnoxias et perituras esse. Ne vero proximam et corporis et animæ mortem nimium lugeamus, illi, ut acute

Tullius, usuram nobis largiuntur, tanquam cornicibus; diu mansuros aiunt animos, semper negant[1]. Cleanthes omnes perduraturos dixit usque ad mundi exustionem, Chrysippus vero solos sapientium[2]. Quibusdam placuit animos, corpore solutos, per universam, unde orti sint, naturam circumferri et vagari[3]. In hoc certe magis quam in aliis Porticus alumni a Christi discipulis magno distant intervallo.

Nunc vero attentius considerandum, an Marcus Antoninus de veteri stoica doctrina decesserit, et tanto propius ad Christianam accesserit. Duodecim habemus Marci libros, in quibus non quidquid pro magnitudine Romana domi vel militiæ gesserat, verborum fastu æquare tentavit; sed sui ipsius et naturæ arcana curiose scrutatus, mentem vere philosophicam quasi posteris aperuit. Quæ si perlegeris, videbis Aurelium de mundo ac Deo priscis stoicæ sapientiæ doctoribus consensisse. Mundum enim esse dixit animalis instar, quod unam materiam animamque unam habeat[4]. Et idem alias : Nihil extra naturam, cum ipsa sibi sufficiat, atque

[1] Cic. *Tuscul.* I, 31.

[2] Κλεάνθης μὲν οὖν πάσας ἐπιδιαμένειν μέχρι τῆς ἐκπυρώσεως, Χρύσιππος δὲ τὰς τῶν σοφῶν μόνον. (Diog. Laert. VII, 157.) — Cf. Plutarch. *De placitis philos.* IV, 7.

[3] Plutarch. *De placitis philos.* loc. cit.

[4] Ὡς ἓν ζῶον τὸν κόσμον, μίαν οὐσίαν καὶ ψυχὴν μίαν ἐπέχον, συνεχῶς ἐπινοεῖν. (M. Antonin. *In se ipsum,* IV, 40.)

in se locum, materiam et artem inveniat[1]. Divina vis in Deos innumerabiles dividitur; qui, cum corpus habeant, etiam oculis percipi queunt[2]. Solem et quæcumque polum decorant sidera, diis annumerat Antoninus[3], veterum stoicorum more[4]. In hoc tantum ab iis deflectere videtur, quod materiam ducit summo artifici semper obsequentem, et tanquam in ejus manu ceream[5]. Deum ergo optimum et omnipotentem attingit, sed mundo inclusum[6], et quasi sensibus obvium; neque ad latentem rerum causam, Christianorum numen, erigitur[7].

Qualem stoici providentiam animo conceperant, Aurelio probata est. Omnia inter se ita cohærent, ut nihil futurum sit cujus causas natura non contineat[8]. Prima rerum ratio irrequieto cursu agitur, et omnia secum rapit, torrentis instar[9]. Astra suspice, qui, ut illa, volens nolens, præstituto ferris or-

[1] M. Antonin. VIII, 50.

[2] Πρὸς τοὺς ἐπιζητοῦντας, ποῦ γὰρ ἰδὼν τοὺς θεοὺς, ἢ πόθεν κατειληφὼς ὅτι εἰσὶν, οὕτω σέβεις; πρῶτον μὲν καὶ ὄψει ὁρατοί εἰσιν. (M. Antonin. XII, 28.)

[3] Καὶ ὁ ἥλιος..... καὶ οἱ λοιποὶ θεοί. (M. Antonin. VIII, 19.)

[4] Cic. *De Natura Deorum*, III, 15.

[5] M. Antonin. VI, 1. — VII, 23.

[6] Ἐπὶ δὲ τῶν ὑπὸ φύσεως συνεχομένων ἔνδον ἐστὶ καὶ παραμένει ἡ κατασκευάσασα δυνάμις. (M. Anton. *Ibid.*)

[7] Deus enim verus non anima, sed animæ quoque effector et conditor. (Augustin. *Civit. Dei*, IV, 31.)

[8] Πάντα πάντων τῶν γινομένων συναίτια. (M. Antonin. IV, 40.)

[9] M. Antonin. IX, 29.

dine[1]. Quidquid tibi contingit, id ex æterno tempore destinatum est, causarumque series sibi invicem implexarum tui ipsius substantiam cum isto casu composuit[2]. Nec necessario tantum, sed juste omnia adveniunt : quippe quæ non solum ex antecedentibus causis fiant, sed secundum justitiam, atque ex illius arbitrio qui suum cuique æquabiliter distribuit[3]. Nihil igitur accidit, quod tristi vel malo vultu excipiendum sit. Itaque Antoninus, fata ad ipsum pertinentia reveritus, exclamavit : « Quidquid tibi convenit, o Munde, convenit et mihi. Nihil mihi immaturum, nihil serum est, quod tibi tempestivum. Quæcumque vices tuæ tulerint, o Natura, ea, tanquam fructus humi delapsos, libenter accipio. Omnia ex te orta sunt; in te omnia consistunt; ad te omnia revertuntur. *O civitas amica Cecropis*! dicit aliquis in tragœdia, Athenas respiciens; tu vero de mundo non dices : O civitas amica Jovis[4]! »

Hæc profecto tam religiose quam fortiter dicta satis admirari non possim. At non semper idem de providentia Antoninus : interdum enim in dubitationem cadit, nec sic fato credit ut nihil fortunæ

[1] M. Antonin. VII, 47.

[2] Ὅτι ἂν σοι συμβαίνῃ, τοῦτό σοι ἐξ αἰῶνος προκατεσκευάζετο· καὶ ἡ ἐπιπλοκὴ τῶν αἰτίων συνέκλωθε τήν τε σὴν ὑπόστασιν ἐξ ἀϊδίου καὶ τὴν τούτου σύμβασιν. (Antonin. X, 5.)

[3] Id. IV, 10.

[4] Id. IV, 23.

permittat. Postquam divinæ prudentiæ fiducia Romanorum animis aboleri cœpisset, Fortunæ cultus urbem totam invaserat. Illam multis sub nominibus invocabant, et eo dementiæ venerant, ut, teste Tullio, etiam Malæ Fortunæ templum in Exquilino ædificarent [1]. Cum Epicureorum numerus Romæ increvisset, nullus fere Deus ibi supererat, nisi temerarium quoddam ac ne numen quidem, fortuna [2]. Neque ab ista contagione stoicus ipse Antoninus se intactum præstitit : homini nempe dixit diis adjutoribus simul et fortuna opus esse [3]. In alio quidem loco, fortunam ad providentiam referre tentavit [4]; quid vero, magis consilio et providentiæ dissonat quam sors vel fortuna? Si omnia in fatis sunt, nihil fortunæ relictum; si quid fortunæ datum, non cuncta Deo provisa sunt. Re vera, Marcus paucula quædam divinæ prudentiæ subtrahit [5], et poetæ assentitur sic canenti :

[1] Cic. *De legibus*, II, 11.

[2] Toto mundo et locis omnibus, omnibusque horis, omnium vocibus Fortuna sola invocatur..... Sola laudatur, sola arguitur et cum conviciis colitur... Huic omnia expensa, huic omnia feruntur accepta; et in tota ratione mortalium sola utramque paginam facit. Adeoque obnoxiæ sumus sortis, ut sors ipsa pro Deo sit, qua Deus probatur incertus. (Plin. *Hist. nat.* lib. II, 7.)

[3] M. Antonin. I, 17.

[4] Id. II, 3.

[5] Ἀρκεῖ δὲ μεμνῆσθαι, ὅτι τὰ πάντα νομιστὶ ἔχει, εἰ μὴ λίαν ὀλίγα. (M. Antonin. VII, 31.)

. . . . . τῶν ἄγαν μὲν ἅπτεται
Θέος· τὰ μικρὰ δ'ἐς τύχην ἀνεὶς ἐᾷ [1].

Aliter Chrysippo [2] et Epicteto [3] visum est; qui Deo vel minima tribuenda esse judicaverunt.

Ecce autem omnia in dubium vocat Antoninus, cum nesciat utrum mundus a Providentia constitutus fuerit, an fortuito atomorum concursu. Quod si semel illi excidisset, minus forte attenderem. At cum eadem sæpius in libro recurrant [4], manifestum habeo non illi satis certam fuisse de rerum principiis sententiam, eumque aliquando in utriusque doctrinæ bivio hæsisse ancipitem. Multa quidem de colenda religione disseruit : « Deos in omnibus invocato [5]. Cum diis quodam modo vivendum est [6]. Religiosus esto, citra superstitionem [7]. » Hæc Marcus in commentariis; neque scriptis unquam vita dissensit. Attamen si mentis interiora penetraveris, eum videbis quasi in diversa distractum, et de hac quæstione suspensum : Deusne orantes adjuvet, an nostris omnia facultatibus permiserit [8]. In divinam

[1] Euripid. ap. Plutarch. *De lege poet.* c. 7.

[2] Chrysip. ap. Plutarch. *De communi notitia*, c. 31.

[3] Arrian. *Epict.* III, 24.

[4] Ἤτοι πρόνοια, ἢ ἄτομοι (Antonin. IV, 3.) — Εἴτε ἄτομοι, εἴτε φύσις. (X, 6.) — Εἰ μὴ ἄτομοι, φύσις ἡ τὰ ὅλα διοικοῦσα. (XI, 18.)

[5] Id. VI, 23.

[6] Συζῆν θεοῖς. (Id., V, 27.)

[7] Θεοσεβὴς χωρὶς δεισιδαιμονίας. (Id. VI, 30.)

[8] Id. IX, 40. — XII, 14.

opem, fateor, inclinat, propriæ infirmitatis, in tanto rerum fastigio, conscius; sed nihil affirmare audet, neque, Christianorum instar, Deum semper et ubique oranti adesse pro certo habet.

Id imprimis curavit Antoninus, ut bene vivendi præcepta extra dubitationem ponerentur, et in medio fluctuantium opinionum æstu fixa atque immota perstarent. Hac cogitatione ne uno quidem die vacavit, sive, per Cæsarum villas, secretum ac solitudinem peteret principibus negata, sive Romæ invitus in aula versaretur; quam vocabat novercam, dum matris nomen philosophiæ reservabat[1]. Non alia in pectore volvebat, si quando imperii necessitatibus in militiam agebatur. Quoties enim, sub nubilo Germaniæ cœlo, apud Danubii vel Granuæ ripas, permixta Romanorum barbarorumque ossa contemplatus, de humanis vicibus ac justa morum disciplina cogitavit! Quoties tabellas, quas secum semper habebat, e sinu deprompsit, et plurima inscripsit divinitus instituta, quæ victum desperatumque erigerent, victoris vero fastum atque insolentiam retunderent[2]!

Homo triplex, ut Marco visum est : corpus scilicet, anima, et mens sive ratio, ad quam principatus

[1] M. Antonin. VI, 12.

[2] Librorum εἰς ἑαυτὸν primum ad Granuam apud Quados, secundum Carnunti scripsit M. Antoninus.

pertinet[1]. Corporis sensus sunt, animæ affectus, mentis decreta[2]. Omni ope atque opera enitendum est, ut istam pulveris et sanguinis colluviem, quæ corpus vocatur, contemnas moriturus[3]. Cupiditates non temperandæ solum, sed radicitus evellendæ sunt[4]. Præmineat ratio, tanquam regina; externa quæque despiciat, et tota in se contrahatur[5]. Quæ, cum a summa rerum ratione profecta sit, Dei particula, vel, quo verius loquar, deus est, iisdem nempe quibus ipse Deus, legibus obnoxia[6]. Hominis est tum propriæ ipsius, tum communi omnium naturæ convenire; quæ autem naturæ in unum conspirant. Hic Marcus stoicam illam rerum cognationem commemorat : similia in se invicem trahi, et eo fortius quidem quo magis perfecta[7]. Nihil hominum naturæ tam consentaneum, quam sibi mutuo adesse[8]. Humanum est, etiam a quibus offensus fueris, ut fratres diligere[9]. Is optimus injuriam

[1] Τρία ἐστὶν ἐξ ὧν συνέστηκας, σωμάτιον, πνευμάτιον, νοῦς. (XII, 3.) Cf. II, 2, et III, 16.

[2] Σώματος αἰσθήσεις, ψυχῆς ὁρμαί, νοῦ δόγματα. (III, 16.)

[3] Ὡς ἤδη ἀποθνήσκων, τῶν μὲν σαρκίων καταφρόνησον. (II, 2.)

[4] Id. VII, 29. — IX, 7.

[5] Id. V, 26. — VII, 28. — XII, 3 et 19.

[6] Ὁ ἑκάστου νοῦς θεός. (XII, 26.)—Ἔργον ζώου νοεροῦ, καὶ κοινωνικοῦ καὶ ἰσονόμου θεῷ. (VIII, 2.)

[7] Id. IX, 9.

[8] Γεγόναμεν πρὸς συνεργίαν. (II, 1.) — Τὸ ἄρα ἀγαθὸν τοῦ λογικοῦ ζώου, κοινωνία. (V, 16.)

[9] Ἴδιον ἀνθρώπου φιλεῖν καὶ τοὺς πταίοντας. (VII, 22.)

ulciscendi modus, ne sis inferenti similis[1]. Quæ fieri jubet Antoninus, nullo propriæ utilitatis vel futuræ mercedis respectu. Gratuita sint beneficia; nec ad buccinam bene facias; sed si quid bene feceris, ne attendas quidem, viti haud absimilis, quæ racemos ubi tulerit, nihil amplius sibi requirit, naturæ paruisse contenta[2].

Sic loquentem Antoninum non christiana religio diffiteatur, philosophia vero sola inspiravit. His enim non repugnat prisca Porticus doctrina[3]. Quæ si a stoicis deprompta fuisse aliquis negaverit, multa referre in promptu est, quæ apud Academicos ac præsertim in Platonis vel Tullii[4] libris occurrunt, cum Marci præceptis mirum in modum congruentia. Caritatem generis humani non invenerunt Christiani, sed, quod melius est, vita et moribus ita exercuerunt, ut sibi propriam facerent. Cæterum, hoc inter Antoninum et Christianos discrimen non prætermittendum est, quod ille homines

[1] Ἄριστος τρόπος τοῦ ἀμύνεσθαι, τὸ μὴ ἐξομοιοῦσθαι. (VI, 6.) — Cf. VII, 65.

[2] M. Antonin. V, 6.

[3] Multum, ut ait Cleanthes, a beneficio distat negotiatio. (Senec., *De beneficiis*, VI, 13.)

[4] Ἕκαστος ἡμῶν οὐχ αὑτῷ μόνον γέγονεν, ἀλλὰ τῆς γενέσεως ἡμῶν τὸ μέν τι ἡ πατρὶς μερίζεται, τὸ δέ τι οἱ γεννήσαντες, τὸ δὲ οἱ λοιποὶ φίλοι. (Platon., *Epist.* 9.) — Quæ latine Tullius, in *Officiis* (I, 7): « Ut præclare scriptum est a Platone, non nobis solum nati sumus, ortusque nostri partem patria vindicat, partem amici. »

mentis tantum communione conjunctos[1], hi vero re ac sanguine cognatos, atque ex una stirpe genitos existimarent, ut a Judæis acceperant[2].

Aliquid certe ex tristi ac tetrica stoicorum disciplina detraxit Antoninus ; quibus placuerat omnia esse paria peccata. Ab ista opinione, cui, ut ait Flaccus ; sensus moresque repugnant[3], discessit Aurelius, et Theophrasto assensus est, diversa peccatorum genera distinguenti[4]. Nec magis stoicum illud probavit : misericordiam vitiis vel morbis annumerandam esse, ac neminem misericordem esse nisi stultum et levem[5]. Humanius quidem Marco dictum : « Sapientem decet insipientium quodam modo misereri, quia quid sit boni malive nesciunt[6]. » In hoc fortàsse minus stoicus, sed non ideo Christianus habendus est, nisi Christianum putes et Tullium, qui stoicam de misericordia sententiam tam vehementer atque acute insectatus est[6]. Marcus quoque, ut Epictetus, ab antiqua Por-

[1] Ὅτι μοί συγγενὴς οὐχὶ αἵματος, ἢ σπέρματος τοῦ αὐτοῦ, ἀλλὰ νοῦ, καὶ θείας ἀπομοίρας μέτοχος. (M. Antonin. II, 1.) — Cf. XII, 26.

[2] Ἐποίησε δέ ἐξ ἑνὸς αἵματος πᾶν ἔθνος ἀνθρώπων. (*Act. apost.* XVII, 26.)

[3] Horat., *Sat.* I, 3, 97.

[4] M. Antonin. II, 10.

[5] Ἔλεον εἶναι πᾶθος καὶ συστολὴν ἄλογον.... Τοὺς σοφοὺς ἐλεήμονας μὴ εἶναι. (Diogen. Laert. VII, 111 et 123.)

[6] Τὰ δὲ ἐξ ἄνθρώπων φίλα διὰ συγγένειαν· ἔστι δὲ ὅτε καὶ τρόπον τινὰ ἐλεεινὰ, δι' ἄγνοιαν ἀγαθῶν καὶ κακῶν. (M. Antonin. II, 13.)

[7] Cic. *pro Murena*, 31.

ticus superbia ad modestiorem habitum descendit; qui austeram vitæ suæ disciplinam nunquam populo admirandam proposuit, neque tragœdiam egit in theatro [1], sed nihil æque oderat ac sibi placere [2]. Hic tamen christianam humilitatem ne agnoscas; quid enim verba ἁπλότης, αἰδὼς, aliud significant quam honestam morum simplicitatem ac modestiam, vel pudorem? Quam Græci dicebant ταπεινοφροσύνην, Latini vero *humilitatem*, ea angustum abjectumque animum arguebat; nec nomine minus quam re apud veteres ignota illa prorsus Christiana virtus, sui contemptrix ac nescia.

Quid quod vel ipsam peccati cogitationem peccatis annumerat Antoninus [3]? Hoc frequentissime apud Christianos scriptores recurrit, male facere, male velle, male cogitare, ex æquo vetitum [4]. Apud nos et cogitare peccare est, dixit Minucius [5], quasi ea lex Christianis esset maxime familiaris, Ethnicis vero minime. Credo equidem hanc, gliscente in dies morum corruptela, Romæ desuetam abolevisse. Qui enim pravum aliquid cogitare erubescant, quos patrati sceleris non pudet? At veteris philo-

[1] M. Antonin. I, 7. — III, 7.

[2] At enim cum aliquid pulchrius elocutus sum, placeo mihi, deoque eloquentiam fugio. (Front. *Epist. ad M. Aurel. Cæsar. de eloquentia.*)

[3] M. Antonin. I, 3.

[4] Tertullian. *Apologet.* 36.

[5] M. Minucius Felix, *Octavius*.

sophiæ oracula si interrogaveris, idem quod Marcus concinent. Vir bonus, inquit Tullius, non modo facere, sed ne cogitare quidquam audebit, quod non audeat prædicare[1]. Quam sententiam versiculo inclusit poeta, acerrimus Romanorum vitiorum insectator :

> Nam scelus intra se tacitum qui cogitat ullum,
> Facti crimen habet[2].

De bono ac malo quæ sensit Antoninus, hæc admodum stoica nemo negaverit. Nihil boni, nisi virtus; nihil mali, nisi vitium. Quæ appeti vel reformidari solent, mors et vita, honor et ignominia, dolor et voluptas, paupertas et divitiæ, neque bona neque mala habenda sunt. Ea enim bonis malisve hominibus, nullo discrimine, contingunt. Sin autem bona vel mala essent, ut vulgo creduntur, superis provisum fuisset ut bonis tantum bona, mala vero malis advenirent[3]. Marcus ergo, ex veterum stoicorum sententia, malum esse negavit, cum ejus rationem reddere non potuerit; neque Christianam suspicatus est interpretationem, optimum quemque ac pessimum per bona vel mala probari, atque in altera vita suum cuique jus ex operibus tribuendum esse[4].

Non Christianus profecto Antoninus, cum de li-

[1] Cic. *De officiis*, III, 19.
[2] Juven., *Sat.* XIII, v. 209.
[3] M. Antonin. II, 11.
[4] Placuit divinæ providentiæ præparari in posterum bona justis,

bero hominis arbitrio disserit. Prima quidem specie, ferream stoicorum necessitatem excutere videtur : « In mea manu positum est, nihil agere quod deo non probetur quem intus fero[1]. Concessum est animali rationis participi, naturæ libenter obsequi, dum cæteris necessitas imperat[2]. » Sed quod altera manu Antoninus ædificat, altera destruit. Cum sapientem hortatur ne malos oderit, eos natura peccare affirmat[3]. Qui malos peccare nolit, is et ficus acrem succum gerere, et infantes vagire, et equos hinnire nolit[4]. Hominum malitiam cum amaro ficus succo bis Marcus contulit[5]. Haud equidem reprehendo mirabilem illam ac prope Christianam in errantes clementiam; at quia improbi ferendi sunt, quia etiam diligendi, non continuo dicendum est : Quidquid faciunt, non facere non possunt; inviti peccant ac coacti[6]. Satius erat dicere, ut Antoninus

quibus non fruentur injusti, et mala impiis, quibus non excruciabuntur boni. Ista vero temporalia bona et mala utrisque voluit esse communia, ut nec bona cupidius appetantur, quæ mali quoque habere cernuntur; nec mala turpiter evitentur, quibus et boni plerumque afficiuntur. (August. *Civ. Dei*, I, 8.)

[1] M. Antonin. V, 10.

[2] Id. X, 28.

[3] Id. IV, 6.

[4] Id. XII, 16.

[5] Id. IV, 6. — XII, 16.

[6] Ταῦτα ὑπὸ τῶν τοιούτων πέφυκε γίνεσθαι ἐξ ἀνάγκης. (IV, 6.) — Ἀδύνατον δὲ τοὺς φαύλους μὴ τοιαῦτά τινα ποιεῖν. (V, 17.) — Οὐδὲν γὰρ οὐχὶ ἄκοντες ἁμαρτάνουσι. (XII, 12.)

in alio loco : Antequam nocentem reprehendas, tecum animo reputa an nunquam tale aliquid ipse feceris [1].

Dum in hac quæstione Aurelius immoratur, Heracliti verba quædam refert, a quo nonnulla stoica profecta sunt : « Omnes, vel conscii vel nescii, et dormientes etiam, universum mundi laborem adjuvant, tanquam unius operis artifices. Et ille suas partes agit qui in adversum nititur, atque id potissimum studet ut opus impediat vel deleat; nam et hæc quoque fiant necesse est [2]. » Apertius etiam in hunc sensum Chrysippus, si Plutarcho credimus : « Vitium cæteris consentit et ad eumdem spectat finem; est enim, ut reliqua, secundum naturæ rationem, neque, ut ita dicam, rerum summæ inutile : quo sublato, bonum non esset [3]. » Ista opinione nihil falsius, ut mihi videtur; nihil certe a Christiano dogmate magis alienum. Deus vitium patitur, non imperat, cum liberum homini arbitrium reliquerit. At, inquies, deteriorum hominum consilia plerumque decipiuntur, atque ex ipso malo bonum aliquando oritur insperatum. Deus nempe humana corrigit ac dirigit, et, ut præclare dixit Augustinus, *etiam de his qui faciunt quæ non vult, facit*

[1] M. Antonin x, 30.
[2] Id. vi, 42.
[3] Plutarch. *De Stoic. contradict.* 31.

ipse quæ vult[1]. Sic loquendo Hipponensis episcopus neque divinam providentiam, neque humanam libertatem impugnavit, et tanti momenti quæstionem, in qua Chrysippus Antoninusque erraverunt, simpliciter exsolvit.

Hæc stoica de fato sententia quam periculosa ac funesta sit, satis argumento est ipsius Marci vita. Cum hominum vitia a natura insita ac necessaria duceret, iis non satis fortasse acriter atque animose adversatus est. Testis Lucius Verus, frater adoptivus, imbellis imperii socius, cui otium ac voluptates condonavit Antoninus, dum sibi labores ac pericula reservabat. Testes et filius Commodus, futura Roma pestis, et Faustina conjux, quam, ab integra matronarum castitate turpiter dejectam, cœlo deam locavit uxorius. Quorum cupiditates vix refrenare tentavit, ad nimiam patientiam non indolis tantum lenitate, sed philosophica institutione comparatus. Cum L. Veri epistola Avidii Cassii ambitionem et insidias denuntiavisset, Antoninus, quidquam cavere dedignatus, rescripsit : « Si Cassio divinitus debetur imperium, non poterimus interficere, etiam si velimus[2].

Ut de vita, sic de morte stoicis consensit M. Aurelius. Morti paratus ipse, ut si quis unquam, sapientem vita discedentem olivæ comparat, quæ post-

[1] Augustin. *De Correp. et grat.* c. 14.
[2] Vulc. Gallicanus, *Avid. Cassius.*

quam maturuit, ex arbore ultro decidit [1]. De hac quæstione, an homini liceat mortem sibi consciscere, non magis dubius est quam Seneca [2] aut Epictetus [3] : « Quamdiu honeste potes, perge vivere ; at si quid impedit ne libere et naturæ convenienter vivas, vita exeas licet [4].» Qui vero vita exeundi licentiam philosopho concessit, is Christianis exprobrat, quod mortem pro sua religione libenter excipiant. In eos invehitur, tanquam in imprudentes et incompositos milites, qui extra ordinem pugnant, et ad mortem ruunt obstinati [5]. Quibus ex verbis satis superque probatur, quantopere a Christi doctrina Marcus abhorruerit, et quam plane, qualis esset vere Christianus, ignoraverit.

Quid autem post vitam de homine futurum est? Hic nova Christianos inter et stoicum imperatorem discidii materies. Nihil aliud mori, ex Marci sententia, nisi unum ex tribus : sive omnino exstingui, sive in atomos vel in priora redigi elementa [6]. Cum nulla res in mundo exstet quæ a nihilo orta fuerit,

[1] M. Antonin. IV, 48.

[2] Senec. *Epist.* 70.

[3] Arrian. *Epict.* II, 16.

[4] M. Antonin. V, 29.

[5] Τὸ δὲ ἕτοιμον τοῦτο, ἵνα ἀπὸ ἰδικῆς κρίσεως ἔρχηται, μὴ κατὰ ψιλὴν παράταξιν, ὡς οἱ Χριστιανοί, ἀλλὰ λελογισμένως, καὶ σεμνῶς, καὶ ὥστε καὶ ἄλλον πεῖσαι, ἀτραγῴδως. (M. Anton. XI, 3.)

[6] Περὶ θανάτου· Εἰ σκεδασμὸς, ἢ ἄτομοι, ἢ κένωσις, ἤτοι σβέσις, ἢ μετάστασις. (M. Anton. VII, 32.)

vel in nihilum sit reversura, non magis animæ quam corpora exstinguuntur [1]. Atomos non admittit Antoninus, non excludit tamen ; qui Alexandrum dixerit atque ejus mulionem mortuos in idem recidisse, scilicet in seminalem mundi rationem receptos, vel in atomos diffluxisse [2]. Verum hanc opinionem præferre videtur, animam ad ea, unde profecta sit, revocari. Dum corpora, e terra conflata, ad terram revertuntur, ut in novas formas abeant, mens sublimia petit, et postquam in æthere aliquandiu permansit, incandescit, et in universam naturæ mentem diffunditur [3]. Hoc, licet stoicum, in Epicuream sententiam relabitur [4]. Quod in animæ immortalitate præcipuum est, omisit Antoninus, scilicet aliquem menti sensum superesse, sui ipsius conscientiam ac vitæ peractæ memoriam : qua sublata, non justa merces neque pœna subesse potest. Itaque cum virtutem indefesse colerent stoici, nulla post mortem sperabant præmia. Christiani contra futuræ vitæ magis etiam credebant quam soli post

[1] Ἐξ αἰτιώδους καὶ ὑλικοῦ συνέστηκα· οὐδέτερον δὲ τούτων εἰς τὸ μὴ ὂν φθαρήσεται· ὥσπερ οὐδὲ ἐκ τοῦ μὴ ὄντος ὑπέστη. (Id. V, 13.)

[2] Ἤτοι γὰρ ἐλήφθησαν εἰς τοὺς αὐτοὺς τοῦ κόσμου σπερματικοὺς λόγους· ἢ διεσκεδάσθησαν ὁμοίως εἰς τὰς ἀτόμους. (Id. VI, 24.)

[3] Id. VIII, 18. — II, 17. — IV, 5, 14, 21, 32.

[4] Cedit item retro de terra quod fuit ante
In terras : et quod missum est ex ætheris oris,
Id rursum cœli rellatum templa receptant.
(Lucret., II, 999.)

noctem elapsam redituro. Postquam Justinus morti damnatus esset, interroganti Rustico, an mercedem sibi a Deo reservatam esse opinaretur : « Non equidem opinor, inquit, at perfecte scio [1]. »

Hoc, inter philosophos, Antonino proprium est, quod doctrinam ex umbraculis eruditorum in solem atque pulverem produxerit [2], nec in suam tantum sed in publicam utilitatem converterit. Qui tamen, tam usu quam schola edoctus, non animo sibi finxerat philosophicis somniis humanas res accommodari posse, neque in Cæsarea Roma Platonis rempublicam speravit [3]. Fidei justique observantissimus, summam potestatem principibus commissam existimabat, ut omnium libertati patrocinarentur [4], nec adeo sibi confidebat, ut prudentium consilia aspernaretur [5]. Suum senatui decus restituit [6]; et cum tot tyrannorum exempla ante oculos haberet, civibus

[1] Just. Martyr. acta, ap. Tillemont, *Mémoires pour servir à l'histoire ecclésiastique,* T. II, p. 437.

[2] Ἄφες τὰ βιβλία. (M. Antonin. II, 2.)

[3] Μηδὲ τὴν Πλάτωνος πολιτείαν ἔλπιζε. (Id. IX, 29.)

[4] Φαντασίαν λαβεῖν πολιτείας ἰσονόμου, κατὰ ἰσότητα καὶ ἰσηγορίαν διοικουμένης, καὶ βασιλείας τιμώσης πάντων μάλιστα τὴν ἐλευθερίαν τῶν ἀρχομένων. (I, 14.)

[5] Æquius est ut ego tot et talium amicorum consilium sequar, quam ut tot et tales amici meam unius voluntatem sequantur. (J. Capitol. *Anton. philos.*)

[6] Senatum multis cognitionibus, et maxime ad se pertinentibus, judicem dedit. (Id. *Ibid.*)

detestata, hoc sibi sæpius dictitabat : Cave ne in Cæsarem desinas [1]. Nec de Roma tantum, sed de humano genere bene meritus est, qui gladiatorum furorem exarmavit [2], pudorem in balneas introduxit [3], infantium cunis advigilavit [4], sepulcrorum religionem auxit [5], et novas ac salutares de tutoribus curatoribusque leges promulgavit [6]. Imo, cum servos homines esse meminisset, pessimam eorum conditionem temperavit, et iis quoque jus inviolatum stare voluit [7]. Quæ omnia ab Antonino sive primum instituta, sive in melius mutata, non magis

[1] ὅρα μὴ ἀποκαισαρωθῇς. (VI, 30.)

[2] Σιδήριον γὰρ οὐδέποτε οὐδενὶ αὐτῶν ὀξὺ ἔδωκεν, ἀλλὰ καὶ ἀμβλέσιν, ὥσπερ ἐσφαιρωμένοις, πάντες ἐμάχοντο. (D. Cassius, LXXI, 29.)

[3] Lavacra mixta submovit. (J. Cap. *Anton. phil.*)

[4] Primus jussit apud præfectos ærarii Saturni unumquemque civium natos liberos profiteri intra tricesimum diem, nomine imposito. Per provincias, tabulariorum publicorum usum instituit, apud quos idem de originibus fieret quod Romæ apud præfectos ærarii. (Id. *ibid.*)

[5] Antonini leges sepeliendi sepulcrorumque asperrimas sanxerunt : quandoquidem caverunt ne, uti quis vellet, fabricaret sepulcrum..... Marcus autem tanta clementia fuit, ut et sumptu publico vulgaria funera juberet efferri. (Id. *ibid.*)

[6] Prætorem *tutelarem* primus fecit, cum ante tutores a consulibus poscerentur, ut diligentius de tutoribus tractaretur. De curatoribus vero, cum ante non nisi ex lege Lætoria, vel propter lasciviam, vel propter dementiam darentur, ita statuit ut omnes adulti curatores acciperent, non redditis causis. (J. Capitol. *Antonin. phil.*

[7] *Digest.* lib. XL, t. I, leg. 4 et 5.

quam philosophica ejus præcepta ad Christianam religionem referenda esse censeo. Acta enim dictis plane concordant : quæ senserat philosophus, ea imperator exsecutus est.

Jam vero requirendi locus est, quis fuerit, imperante Marco Antonino, Christianorum status. Hic primum nobis occurrit celeberrima illa ad commune Asiæ concilium epistola[1] : in qua imperator vetat ne accusentur Christiani, nisi aliquid contra leges ac rem Romanam moliti fuerint. Monet præterea novam istam religionem criminationibus ac suppliciis confirmari, nedum exstinguatur; satius Christianis esse mori quam vivere, utpote suum ipsa morte Deum confitentibus. Imo ethnicis ruborem incutit; qui, si quid inopinatum ingruat, ut recentiores terræ motus, desperati obstupescant, Deorum immemores, dum Christiani quanto miseriores, tanto magis divinæ clementiæ confidunt. Quæ sic ab Aurelio, imperium auspicante, scripta fuisse, minime probabile est. Duplex hujus decreti mentio reperitur, una in Justini Martyris operibus, altera in Eusebii Historia ecclesiastica. Neutri autem genuinum edicti exemplar ob oculos fuit, ut recte a Germano quodam scriptore adnotatum est[2]. Justini

[1] Ἐπιστολὴ πρὸς τὸ κοινὸν τῆς Ἀσίας, ap. Justin. ad prioris apologiæ calcem, et ap. Euseb. *Hist. eccles.* IV, 13.

[2] H. Eichstadt, *Exercitatio Antoniniana* V, in *Annalibus Academiæ Ienensis*, vol. 1.

operibus non ipsius certe, sed aliena manu posterius accessit. Quod si novisset Justinus, nonne in scriptis memoravisset suis, ac præsertim in altera ad M. Aurelium apologia? Eusebius quidem edictum retulit, sed ex Melitonis fide, episcopi Sardensis, qui et ipse apologiam ad Marcum scripserat[1]. Cæterum de imperatoris nomine ad quem decretum pertinet, minime consentiunt: apud Justinum, Antonini Pii; apud Eusebium, Marci Aurelii nomen edicto inscriptum legitur. Sed idem Melito, quem secutus est Eusebius, in apologia, Antonini Pii ad Larissæos, ad Thessalonicenses, ad Athenienses, ad omnes denique Græcos decreta retulerat, Aureliumque adhortatus erat ut patris adoptivi exemplum imitaretur. Igitur Asianum edictum non M. Aurelio, sed Antonino Pio tribuendum est; nisi falsum omnino et ab ethnico imperatore, vel optimo, minime exspectandum judicaveris.

Nullas quidem leges Marcus in Christianam religionem edidit[2]; sed quid novis legibus opus erat, cum vetera exstarent edicta[3], et, tanquam destricti gladii, Christianorum capitibus imminerent? Trajanus non publicos tantum, sed privatos conventus fieri vetuit. Quin etiam Christiano cuique interdic-

[1] Meliton. *Apolog.* ap. Euseb. *Hist. eccles.* IV, 13.
[2] Tertullian. *Apolog.* 5.
[3] Th. Ruinart, *Acta martyrum sincera et selecta,* præfatio generalis, p. XXV.

tum erat legendis prophetarum operibus, paganisque etiam libris, ex quibus aliqua ipsis utilitas percipi posset[1]. Nonnihil Antoninus Pius de pristina severitate remisit; qui non leges iniquissimas abrogavit, sed mollius atque indulgentius exsequendas curavit. Quem prohibuisse satis constat, ne Christiani ob solam religionem accusarentur[2]. At, ineunte Marci principatu, quantum prisca illa Christianos persequendi licentia recruduerit, testantur acta Martyrum[3], necnon plurimi apologetici libri ad imperatorem missi[4]. Quibus non commotus Aurelius, populari in Christianos odio et magistratuum crudelitati habenas laxare videbatur. Vixdum Justinus ultimam posteriori apologiæ manum imposuerat, cum et ipse Romæ accusatus est, et, quam stylo defenderat religionem, sanguine confirmavit.

An post relatam apud Granuam flumen victoriam atque exercitum Quadorum e manibus divinitus ereptum (anno J. C. 174), persecutio deferbuerit, sæpius disceptatum est. Tertullianus Aurelii ad senatum epistolam commemoravit, in qua impera-

[1] Κατ' ἐνέργειαν δὲ τῶν φαύλων δαιμόνων, θάνατος ὡρίσθη κατὰ τῶν τὰς Ὑστάσπου, ἢ Σιβύλλης, ἢ τῶν προφητῶν βίβλους ἀναγινωσκόντων. (Justin. *Apol.* I, 44.)

[2] Id. *ibid.* — Euseb. *Hist. eccles.* IV, 13.

[3] Euseb. *Hist. eccles.* IV, 15. — P. Oros. VII, 15. — Ruinart, *Acta martyrum sincera et selecta.*

[4] Justin. *Apol.* II. — Melitonis et Apollinaris *Apologiæ*, ap. Eusebium, *Hist. eccles.* IV, 26.

tor insperatum illud pluviæ auxilium *Christianorum forte militum precationibus impetratum esse* confessus est[1]. Erat nempe una ex Romanis legionibus, Melitina nomine, in qua nemo nisi Christianus merebat[2]. Quæ quidem tradidit et Eusebius, Apollinarem secutus, unum ex iis qui apologeticos libros ad Marcum scripserant[3]. Quam vero inter Justini opera legimus epistolam[4], non dubium est quin falsa sit ac subdititia, cum eam ne Eusebius quidem retulerit. Quæ si coram senatu recitata esset, tota reclamasset curia, patriam religionem aboleri indignata. Alii aliis rationibus rem interpretati sunt : hic magicis artibus[5]; ille summa imperatoris pietate[6] ; Christiani suorum precibus. Marcus, si veram ejus sententiam introspicias, hoc ab omni æternitate, secundum mundi rationem, constitutum evenisse ratus est ; palam autem Jovi Pluvio facti honorem detulit. Nec dubitandi locus est, cum optimum in hac quæstione atque ex ære conflatum habeamus argumentum, columnam scilicet Antoninam. Hic Christiani nihil ; sed qualem

[1] Tertullian. *Apologet.* 5.
[2] D. Cassius, LXXI, 9.
[3] Euseb. *Hist. eccles.* V, 5.
[4] Justin. *Opera,* ad prioris apol. calcem.
[5] D. Cassius, LXXI, 8.
[6] J. Capitolin. *M. Anton. philos.* — Claudian. *Sext. Honorii consulat.* V, 340.

ethnica sibi finxerat antiquitas, senex nimbosus apparet, barba et capillis in imbrem defluentibus; qui, dum dextera Romanos sublevat, sinistra barbaros premit, hinc cladem et funera, inde salutem victoriamque impertiens.

Non tamen infitior, illis fortasse temporibus lassatam cessisse tortorum barbariem, et Christianos a perpetuo suppliciorum metu respiravisse. Aurelius vetuisse fertur ne amplius Christiani accusarentur, atque etiam jussisse ut accusatores ultimo plecterentur supplicio[1]. Quæ si vera ferunt ecclesiastici scriptores, non sic Marcus egisse mihi videtur, quod victoriam Christo debitam crediderit; at, cum ætas ingravesceret, et recentissima belli pericula menti obversarentur, permoto ad miserationem animo, Christianos, quos fortissime pro imperio dimicantes viderat, ut cognatos ac fratres habere tandem aliquando decrevit Antoninus, atque hæc vox illi non Christiana quidem, sed humana excidit : Parcite. Non vero ad longum tempus plebem Christiani sanguinis siti laborantem Marcus continuit. Nihil profuerunt Athenagoræ[2] et Miltiadis[3] apologiæ, et eo atrocius sævitum,

[1] Tertullian. *Apolog.* 5. — Euseb. *Hist. eccles.* V, 5.

[2] Athenag. *Legatio pro Christianis, imperatoribus M. Aurelio Antonino, et L. Aurelio Commodo, Armeniacis, Sarmaticis, et, quod maximum est, philosophis.*

[3] Euseb. *Hist. eccles.* V, 17.

quod suppliciorum vis aliquantisper cessaverat [1].

In hac dissertatione duplicem Antoninum, imperatorem scilicet et philosophum, exprimere conatus sum ; uter autem a Christiana doctrina magis alienus fuerit, dicere vix queam. Imperator idem et pontifex, externum priscæ religionis habitum pene ad superstitionem præ se tulit, ita Christianis infestus, ut melior sub pessimis principibus, quam sub imperatore philosopho, status ecclesiæ contigerit. Nonnullas quidem leges feliciter emendavit Antoninus, ac novas etiam atque humaniores condidit ; sed plerisque veterum institutis pertinaciter adhæsit, et, ut scripsit J. Capitolinus, jus magis antiquum restituit quam novum fecit [2]. Si philosophum spectes, is fere in omnibus veterum stoicorum æmulator. Si quid vero in illo invenias quod a Zenone vel Chrysippo differat, id sive ab aliis philosophiæ scholis deprompsit, sive proprii ingenii instinctu excogitavit : nihil, ut mihi videtur, Christianis debitum. Christianismum tollas, idem supererit, neque major, neque minor Antoninus ; electus in quo ostenderetur quid per se posset ad corrigendos mores philosophica antiquitatis disciplina. Qui, cum grassanti in dies vitiorum

[1] Euseb. v, 1 et sqq. — Sulpic. Sever. lib. II. — Ruinart, *Acta martyrum sincera et selecta.*—Le Nain de Tillemont, *Mémoires pour servir à l'histoire ecclésiastique*, t. II.

[2] J. Capitol. *M. Anton. phil.*

corruptelæ fortiter adversaretur, in præclaro illo certamine quandoque victus cecidit. Ea quippe vis stoicismo inerat, quæ Romanæ potentiæ molem in præcipiti stantem quodam modo retineret, non vero inveteratis imperii malis mederetur, et universam hominum societatem ad meliora fata promovendam impelleret.

Has Theses tueri ac dilucidare conabitur Carolus Augustus Desideratus FILON, *in Facultate litterarum licentiatus, ad doctoris gradum promovendus.*

VIDI AC PERLEGI,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, a. d. VIII *Kal. decembr. anno. M. DCCC. XXXIX,*
Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi decanus,
J.-Vict. LE CLERC.

TYPIS MANDETUR,

Studiorum inspector, procurandis Academiæ Parisiensis rebus præpositus,
ROUSSELLE.